

PSALMI LXXIII. DISPOSITIO.

Consolatio Israelis. . Impiorum exitus horribilis.

Deprehenditur hîc I. propositio, seu dicendorum summa, *Deum Israël benignum esse, si sint puri corde*, non immeriti scilicet. seculo: v. 1.

II. Scandalosa mundanorum felicitas: ubi (1) *Psaltæ nutatio*: v. 2. [2] nutationis occasio: *gloriantium impiorum conspecta felicitas*, indeque subsecutus *zelus*: v. 3. Hæc ipsa Felicitas describitur (a) ab immunitate aduersitatum: *non sunt ipsis vincula ad mortem usque*: v. 4. (b) à roboris præstantiâ; *robur ipsorum impinguatam*: ibid. (c) *vacant labore*, *plagis molestiisve hominum aliorum* v. 5. (d) *superbia cinxit ipsos* v. 6. [e] *violentiâ undique abundant*: ibid. (f) *impinguantur*: v. 7. (g) *transgrediuntur cogitatis cordium suorum*, ibid. (h) *tabem inducunt aliis*: v. 8. (i) *injuste fastuosèque loquuntur* v. 8. 9. [k] *gaudent applausu multitudinis*: v. 10. *abundantiam reperientis*, ibid. *Deique providentiam impugnantis*: v. 11. Conclusio descriptæ hæctenus felicitatis: *ecce sic impii sunt & tranquilli, & robusti*: v. 12.

III. Perturbatio piorum subsecuta: ubi [1] cogitatio de *frustraneò pietatis studiò*, tam quoad *cor*, quam *manus*: v. 13. [2] *afflictionum deprehensio*: v. 14. [3] *ad ineptum pronunciatum vel sententiam*, qua *Dei cultores insigniter fuissent prægravati, inclinatio*:

A v. 15. [4] *laboriosa harum rerum investigatio*: v. 16.

IV. Perturbationis depulsio: (1) ubi? *donec ingrederer sanctuarium Dei*: v. 17. (2) quando? *attenderem finem seu exitum ipsorum*: ibid. (3) quomodo? *ponuntur in lubricitatibus*: v. 18. *prosternuntur vel protruduntur in perniciæ foveas*: ibid. *subitò vastantur, deficient, horribiliter evanescent*: v. 19. *instar somnii cum despectu eliminantur*: v. 20.

V. Sui ipsius correctio: ubi (1) status prior periculosus: *quando cor meum succendebatur: quando in renibus meis exacui memet ipsum*: v. 21. (2) stoliditatis confessio: *fui eò tempore brutus, nil intelligens, jumento coram Deo assimilatus*: v. 22. (3) perseverantiæ commodum: *jugiter tamen tecum sum commoratus*: vers. 23. (4) origo: *tu tenuisti manum meam dextram*: ibidem; *deduxisti in consiliò tuò, tandem gloriosè suscepisti*: v. 24.

VI. Debata gratitudo: ubi (1) constans dilectio unius Dei *præ cælò terraque*: v. 25. etiam deficientibus cunctis viribus *petra cordis atque portio mea aeterna erit Deus*: v. 26. (2) adhæsiò constans: *dum alii à te elongati pereunt, scortantesque eliminantur*. v. 27. *ego tibi feliciter adhærebo: ad te confugiam*: v. 28. (3) *præconium operum divinorum continuandum*: ibid.

PSALMUS LXXIII.

EXPLICATIO VERSUS I.

אֲשָׁפָה *Assapho*: scilicet traditus ad decantandum: vide Psal. L, 1. Inchoatur hîc secundum ebraeos *tertius psalmorum liber*; & quidem genus dicendi obscurius & sublimius in hîc & sequentibus X. psalmis, arguit alium autorem, quam Davidem, cujus oratio planior esse solet; sicut nonnulli annotârunt, licet non adeò solidè. *Genebrardus* observat, *Assaphum de rebus ecclesiæ tristibus meditari*.

יָצַח *profectò*: asseverantis hanc esse particulam, deprehendimus Psalm. XXXIX, 6. seq. LVIII, 12. LXII, 2. (ubi itidem inchoat psalmum,) LXVIII, 22. Aliqui tamen aduersativè accipiunt: *attamen, veruntamen*; Denoch / *Lutherus*. *Stephanus in annot.* conjicit, abruptum hoc esse principium, ubi post diurnam cum tentationibus Satanæ concertationem, de Dei circa homines incuriâ, injustitiâ, absentia, &c. tandem David erupe- rit in hanc vocem: *& tamen Deus est bonus Israeli, &c.* Ita etiam *Piscator, Muis, Hopsnerus*. Neutra acceptio absurditatis potest argui. Confer Psal. XXVII, 1. *Job*. XXI, 7. *Jer.* XII, 1. *Cob.* III, 16. 17. & *Hab.* I, 4. 13. 14. ubi similis ferè expositio. Quam ipsam latè à variis autoribus tractatam refert *Quistorpius h. l.*

טוֹב *bonus*: potest hoc nomen accipi vel neutraliter, *bonum vel salutare est, bene erit Israeli, ò Deus*; (quomodo vers. 28. *bonum est mihi adhaerere Deo*;) vel masculinè h. m. *utique Deus est bonus Israeli*. quæ posterior versio commodior etiam, sensumque præbet hunc; utut mundanis proficua videatur epicurea improbitas, per quam ditescunt, potentes evadunt, utut etiam propter felicem in hîc mundò statum impiis videatur favere Deus, *vers. 3. seqq. &c.* attamen fallax ac perniciofa est illa felicitas; verè autem *bonus* (jucundus, salutaris, beneficus) *Israeli est Deus*, dum providè eos gubernat, necessaria ac verè bona, (tam in regnò naturæ, quam gratiæ) subministrat, mala ab iis depellit, &c. Sic *Thren.* III, 24. *bonus est Dominus sperantibus in eum*: *Psal.* CXVIII, 1. *confitemini Domino, quoniam bonus &c.*

יִשְׂרָאֵל *Israeli*: mentione sancti hujus populi tacitam facit antithesin inter nationes circum vicinas, pace omnigenâque felicitate mundanâ gaudentes, uti erant *Philisthæi, Edomæi, Syri, Arabes, &c.* & inter hunc sanctum Dei populum, variis sæpè angustiis pressum ac afflictum; quod nimirum huic tamen soli verè favet Deus, utut favor ille ex statu externò non semper elucescat.

לְבָרֵי